

ministri comprehentes eum, scilicet, audita sententia, cum omni immanitate ac furore, *exierunt eum clamantem coccineam, et induerunt eum vestimentis suis: et infastulibus Iudaeis, ducunt illum ut crucifigerent.* Sed advertendum in hac parte legitur quod ab eo loco, quo Christus ab Herode reductus est ad Pilatum, usque ad expeditionem sententiae latae multa est verborum varietas, et anticipativa locutio, et eiusdem repetitio saepe facta. Quamobrem solitum narrandi ordinem non usquequaque servavi, connectens veram rei gestae sententiam, posterationes atque anticipationes verborum prout Evangelistae tradunt; unus addens quod alter dimisit, propter omnium inaptationem dimittens perspicacioribus ingenis ordinari. Spoliatur igitur derisionis veste Iesus Christus crucifigendus, suis vero vestibus induitur, et cum his minatur ad mortem.

1545 Cogita nunc, anima mea, in illa inhumana et incompassiva, immo crudeli, et furiunda expoliatione, quantum ex verberibus atque sanguinis plagis eis adhaerentibus vestimentis renovatus fuerit illis sacri Corporis cruciatus.

1546 Parata interim erat poenalis machina ligni, et omnia instrumenta poenarum, quae, vigilanti solertia subministrantibus Iudaeis, milites acceperunt et oneraverunt sanctum dorsum Domini Iesu valido ligno crucis. Et deferebat onus grave mansuetus Iesus tamquam animal subiugale. O fili hominis! Ecce ligna et ignis: sed ubi est victima? Ecce, Dominus humano generi providebit. Baiulat igitur crucem sibi Filius Dei Iesus, veluti Isaac ligna ex quibus comburendus erat, nisi desuper aliter Dominus decrevisset. O benignitas Salvatoris! qui sic oneratus incedis, et tuam ignominiam super te portare dignatus es.

1547 Egressus igitur a facie Pilati, ducitur in suae augmentum confusionis per solemnioram viam Ierusalem, in qua paucis ante diebus subiugali suspensens tanto fuerat a turba honore susceptus, et acclamatus a populis, et pueris Hebraeorum quasi esset Salvator mundi. Nunc vero, veluti subiugale subiectum oneribus, cum opprobrio extra ducitur, sociatus duorum numero damnatorum, ac si principalis latronum collega fuisset. Exsultabant impij quod de iudicio victoriam reportassent. Flebant quoque qui nondum ab omni humanitate recesserant, saltem tenentes cum Christo ipsius naturae in compassione consortium. Milites et ministri huius damnatae sententiae, suggerentibus Pontificibus Sacerdotum, ne oriretur in civitate seditio, neque tumultus in populo, et Christus eorum laberetur de manibus propter mutabilem animum turbae, cogebant eum gressibus festinare.

1548 Dum igitur Christus baiulans sibi crucem sic ad

supplicium traheretur, factus est concursus popularum post ipsum illudentium sibi. Alii similiter ipsum lugebant, alii illudentes irridebant, alii proficiebant lutum et immunditias super caput eius.

1549 Sequēbatur eum, prout poterat, moestissima Mater eius cum Ioanne et Magdalena, et cum mulieribus, quae secutae fuerant eum a Galilaea ministrantes ei; a quibus, velut emortua, Virgo mater ut inique sustentata tenebatur.

1550 Secundo subditur Christi debilitatio. Ex vigilia enim praeteritae noctis, necnon ex laboribus per totam illam hebdomadam iam assumptis atque expertis, atque ex multiplici de causa angustis post totius corporis flagella, addito super his gravi onere crucis, non modicum debilitatus secundum corpus ipsa fortitudo debilius Filius Dei Iesus. Praeterea, sicut legi in quadam historia fide digna, quando in quodam concursu viarum, ipso Iesu portante in humeris suis supplicium crucis, dulcissima Mater sua, quum breviorum, ut eum conspiceret, captasset viam, et ex alteratione faciei eius anxietates cordis sui, et duri oppressionem operis aspexit, sincopizasse dicitur praedolens in conspectu Filii sui: quod conspiciens, et ipse totus pietate plenus manifestis dolorum signis, atque palloribus in facie praecostensis, totus angustatus et cordis liter sauciatus super lapidem ibi positum, quasi defectuose et dolorose, resedit.

1551 Profunde malefici illi qui ducebant ad mortem eum, sic defecere advertentes, angariaverunt quempiam Simonem Cyrenaeum venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem eius. In huius rei testimonium refert historia illa quod postea aedificata est Ecclesia in honorem Virginis Matris Dei, quae dicta est Sancta Maria de spasmo; quodque ibi olim ostendebatur lapis ille sacratum super quem Christus tunc resedisse narratur: quae tamen sunt pie credenda magis, quam temerarie asserenda. Haec tamen alleviatio Christi ex onere crucis non pie et humane, sed impie et crudeliter facta est ad mortis accelerationem, et ad contraria evitandum.

1552 Tertio additur ad Christum compassio: sicut enim Evangelista testatur: *Sequebatur eum turba multa populi et mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum.* Sequelas multoties habuit Christus hominum atque mulierum, sed varia causa, varioque affectu: sed nunc altior causa fecit adesse sequaces; sed dumtaxat deterior Pharisaeis atque Pontifices Sacerdotum, qui, tantum finem optati excidii ut infallibiliter aspicerent, sequebantur. Aliqui vero, tot signorum ultra omnem humanam potentiam factorum consilii existentes, si quod in mortis articulo faceret pro seipso visere quaerebant, qui tot signa in alios fecerat, qui etiam tres

mortuos ab inferis suscitavit. Mira quippe consideratione tenebatur, si volebat ipse ad tartarea loca descendere, a quibus illos revocaverat, aut si aliqua insolita potentia de illorum manibus laberetur, aut si aliter per signa innotesceret, aut quali potentia, quali vultu, quali consistentia, si moretur, in ipso actu moriendi persisteret: si hunc Deus requireret desperet, si sibi aliquid novi advenisset qui tot nova in saeculo operatus est, qui novam vitam mundo sic labefacto monstravit: si quispiam pro ipso consurgeret, si nova scilicet aut tumultus pro ipsius libertate oriretur. Porro curiositas multos adduxerat in sequelam. Quosdam vero pietas humana movebat ad huiusmodi spectaculum convenire, maxime mulieres, quarum quodam instinctu naturae magis pius est sensus et prouior in lacrymas, quum aliorum viderint, aut audierint passiones, et saevae conspiciunt novitates.

1553 Neonem Virgo Mater incognita, sed Maria cognita Mater multos ad hanc sequelam moribus induxerat, ut viderent mores eius in morte Filii sui. Est porro mirandum aspectum hominum, consortia mulierum, silentio frenatam, virtutibus fretam, viduam viro, derelictam virili consortio cum sibi uterinis sororibus et aliis mulieribus crucifigendum Filium sequi, quum mos mulierum non sit velle videre filios trucidari. Multae autem mulieres motae pietate atque compassione ferebantur in illam, eo quod Filio unico privabatur; qui, quod horrendius est, velut reus morte turpissima damnatus erat. Neonem et secreto tractatu Christus multitudinem attrahebat, ut viderent signa magna quae tunc facturus erat, ut agnosceretur charitas, et iniusta sententia, ut audiretur crucis septiformis doctrina, comprehenderetur in eo mentis constantia, mira patientia, ut videretur quomodo, et cui compatiantur insensibilia elementa in quem tantum rationalis natura desaevit.

1554 Mulieres autem plangebant et lamentabantur compassione Filii atque Matris, lamentabantur quod illo die contra Iesum iniuste fuit lata sententia, quod sic festino ducebatur ad mortem donator vitae, et sanitatis restitutor. Memores erant bonorum quae saepe pluribus fecerat; et nullius eius conscientiae mali, dulcedo sermonum eius non erat abolita; et pietas vultus eius in memoria sequentium adhuc erat. Talibus mulieres actae conspiciis, plangebant humanitas super Christum, et sacram hominis huius lamentabantur fuisse fortunam. Ad quas Salvator conversus, agonis intrepidus, utilia semper docens, cautelam adhibens pro futuris, quorum praecognitor erat, dixit: *Filiae Ierusalem,*

o Dicitur conanguineae.

nolite flere super me qui sponte mortem subeo, qui lethi, id est, mortis vitae imperium habeo, qui nihil deperit mortendo, cuius suscitatio facies est: sed super vos ipsas flete.

1555 Nec tamen intelligamus in ista Christi allocutione illas dumtaxat mulieres intelligi, sed magis etiam viros, quorum multies clamoribus mors Christo irrogata cognoscitur, et quorum neglecto non fuit iniustitia proposita. Nec tamen odio Christus agebatur in eos, ut illos ferire vellet. Magis autem id agebat, ut tantum crimen et horrendum poenitudine cum lacrymis lavaretur, ne inveniret quos haberet ulcisci.

1556 Haec quidem sententia derivatur ad quoscumque peccatores alios Deum quomodolibet offendentes, qui super semetipsos inconsolabilem dolorem debent inducere, atque maxillas et ora lacrymarum rivulis irrigare, ut nulla eis consolatio esset super terram, donec indulgentiae atque remissionis peccatorum astipulatio haberetur.

1557 Quod autem adiecit: *et super filios vestros,* ad futuram ferebatur poenam, ad confirmationem illius imprecationis quam sibi acquisierant coram Pilato, dicentes: *Sanguis eius super nos, et super filios nostros.* Si Christi huius dicti litteram tantum inspiciamus, forte hoc ideo dicebat, quia Ierusalem tradenda erat excidio Principibus Romanorum. Rationem autem retorquenda lamentationis et fletus in se ipse Salvator adiecit, dicens: *Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatae steriles, et ventres quae non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt:* tempore nempe tribulationum venientium felix est unusquisque, comparative loquendo, qui nec filium, nec filiam, nec aliquem sibi propinquum habet, ut per eum dupliciter puniatur, cuius, si solitarius fuerit, miseria solummodo simpliciter erit.

1558 Haec de temporalibus malis intelligenda sunt; quae quidem referre conantur, sicut dictum est, ad tempus quo Ierusalem a Romanis eversa est.

1559 Mox autem de aeternis malis in futuro subiungit, dicens: *Tunc incipient dicere montibus: Coe dote super nos, et collibus operite nos:* apparente nempe iudicio Dei quod peccatoribus terribiliter imminere, vellet unusquisque peccator tunc praesidium, necnon ipsius Christi, verum etiam unusquisque vel minimi iustorum, quos in hoc mundo oderunt, meruisse, ut per eorum merita tunc valerent a facie terribilis irae Dei tunc latere. Necnon ad litteram etiam intelligi potest: nam tempore iudicii omnes peccatores potius velent a montibus et collibus operiri, quam detrudi aeternaliter in infernum.

1560 Possunt etiam per has mulieres Christum sequentes, quas pie Salvator alloquitur, ab ipso

tempore usque ad saecula futura praedicatoribus intelligi, quibus typice suadetur ut ipsi seipso flendo deplorent, mittentes semina regni Dei, et alios doceant fletum et lamentum super patris sceleribus magis, quam super Domini passione; quam, videlicet, deplorasce, sceleribus non correptis, emissis lacrymis et singultibus super eis, fletus est infantium et mulierum plangentium ad fabulas poctarum; aut quum audiant recitari epistaphila varia, seu strenua mortuorum; magis dixerim lamenta somniantium, qui quum evigilaverint, in risum visa per somnia convertuntur.

1561 Et mirum recolo mihi saepe vidisse, audita Dominica Passione, multos etiam sceleratos in lacrymas prorupisse; quas ut elicerem ab oculis audientium, concionando ad populum, stulte nescio, an perite, per pia verba saepe tentavi. Quod et feci, scilicet solitum est omnibus qui declamant, maxime isto tempore, seu die quo Ecclesia Christum per sua officia recolat crucifixum. Quumque ad propria remeasse illos aspicerem, Christi passionibus et lacrymis atque virtutibus valedixisse cognovi, et de pristina conversatione nihil mali fuisse ademptum; nec tam flevisse facinora, propter quae fuit passio, quam flevissent, tolerata: quibus et ceteris similibus gratias foret, atque salubrius quam passionem passionis causam delevisse: ipsa siquidem peccata, quae praecesserunt, atque futura sunt, Christum pati sua voluntate fecerunt. Super quibus doloribus et moeroribus afflicti ad salutem necessarium est, etiam si super passione non tamen impie, sed pie hominum anima laetaretur.

1562 Hunc igitur fletum per praedicatoribus suaderi debere in mulierum typo Spiritus sanctus per Ierem. 9 cap. asseruit, dicens: *Audite igitur mulieres verbum Dei, et assumant aures verba oris mei: et docete filias vestras lamentum, et unaquaque proximum suam planctum, quia ascendit mors per fenestras.* Mors quidem peccatum est, quod per fenestras varias, scilicet, malarum appetitionum, quas aperit mala voluntas atque perversa per quinque corporis sensus, incautos ingreditur: cuius rei causa habet fieri fletum atque lamentum; unde et signum de seipso eis proponit quam terribilis ira Dei super peccatores imminet, dicens: *Quia si in viridi ligno faciunt, in arido quid fiet?* Si nempe Christus qui viride lignum erat, cuius nunquam verbum deluxit, scilicet, otiosum, et tales tamen monuit et operum miraculis imbebat, ut idem Christus et unigenitus Dei et hominis Filius crederetur. Nam unum horum sine altero non proderat ad salutem, et aequalis erat periculi, Domi-

catores; primum nihilominus et praedicatoribus, et omnibus peccatoribus communis et magis necessarium est.

SABBATO

QUATTOR TEMPORUM QUADRAGESIMAE

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. XVII, 1-9.

In illo tempore: Assumpsit Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum secretum:

2. et transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.

3. Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes.

4. Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum.

5. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacuit: ipsum audite.

6. Et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.

7. Et accessit Iesus, et tetigit eos: dixitque eis: Surgite, et nocte timere.

8. Levantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum Iesum.

9. Et descendentibus illis de monte, praecipit eis Iesus, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis a mortuis resurgat.

Homilia S. Leonis Papae.

SERMO XI DE TRANSFIGURATIONE.

1563 **R**EVANGELICA lectio, dilectissimi, quae per aures corporis interiorum mentium nostrorum pulsavit auditum, ad magni sacramenti nos intelligentiam vocat: quam aspirante gratia Dei facilius assequemur, si considerationem nostram ad ea quae paulo superius sunt narrata, referamus. Salvator enim humani generis Iesus Christus condens eam fidem quae et impiis ad iustitiam et mortuos revocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrinae monitis et operum miraculis imbebat, ut idem Christus et unigenitus Dei et hominis Filius crederetur. Nam unum horum sine altero non proderat ad salutem, et aequalis erat periculi, Domi-

num Iesum Christum, aut Deum tantummodo sine homine, aut sine Deo solum hominem credidisse, cum utrumque esset pariter confitendum: quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera Divinitas. Ad confirmandam ergo huius fidei saluberrimam cognitionem interrogaverat discipulos suos Dominus, inter diversas aliorum opiniones quid ipsi de eo crederent, quidve sentirent: ubi Petrus apostolus per revelationem summi Patris, corpora superans et humana transcendens, vidit mentis oculis Filium Dei vivi, et confessus est gloriam Deitatis, quia non ad solam respexit substantiam carnis et sanguinis. Tantumque in hac fidei sublimitate complacuit, ut beatitudinis felicitate donatus sacram inviolabilis petrae acciperet firmitatem, super quam fundata Ecclesia portis inferi et mortis legibus praevaleret, nec in solvendis aut ligandis quorumcumque causis aliud ratum esset in coelis quam quod Petri sedisset arbitrio.

1564 Haec autem, dilectissimi, laudatae intelligentiae celsitudo, instruenda erat de inferioris substantiae sacramento, ne apostolica fides ad gloriam confitendae in Christo Deitatis evecta, infirmitatis nostrae receptionem indignam impassibili Deo atque incongruam iudicaret, et ita iam in ipso humanam crederet gloriificatam esse naturam, ut nec supplicio posset affici, nec morte dissolvi. Et ideo dicente Domino quod oporteret eum ire Ierosolymam, et multa pati a senioribus et scribis ac principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere (MATTH. XVI, 21 et XX, 17-19), cum beatus Petrus, qui superno illustratus lumine, de ardentissima Filii Dei confessione fervebat, contumelias illusionum et crudelissimae mortis opprobrium religioso, ut putabat, et libero fastidio respuisset, benigna a Iesu increpatione correptus, et

ad cupiditatem participandae cum eo passionis animatus est. Subsequens enim exhortatio Salvatoris hoc inspiravit, hoc docuit, ut volentes eum sequi, negarent se sibi, et pro spe aeternorum levissimum ducerent temporalium detrimentum: quia is demum animam suam salvam faceret, qui eam pro Christo perdere non timeret (MATTH. XVI, 25). Ut ergo istam felicitis constantiae fortitudinem toto apostoli corde conciperent, et nihil de suscipiendae crucis asperitate trepidarent, ut de supplicio Christi non erubescerent, nec pudendam sibi eam patientiam crederent, quae sic subitura erat sacrificium passionis, ut non amitteret gloriam potestatis: *Assumpsit Iesus Petrum, et Iacobum, et fratrem eius Ioannem* (MATTH. XVII, 1), et consensu cum eis scorsum monte praecelso, claritatem illis suae gloriae demonstravit: quia licet intellexissent in eo maiestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo Divinitas tegebatur, potentiam nesciebant. Et ideo proprie signanterque promiserat quosdam de astantibus discipulis non prius gustare mortem, quam viderent Filium hominis venientem in regno suo (MATTH. XVI, 28), id est in regia claritate, quam specialiter ad naturam suscepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit esse conspicuam. Nam illam ipsius Deitatis ineffabilem et inaccessibilem visionem, quae in aeternam vitam mundis corde servatur, nullo modo mortali adhuc carne circumdati intueri poterant et videre.

1565 Aperit ergo Dominus coram electis testibus gloriam suam, et communem illam cum ceteris corporis formam tanto splendore clarificat, ut et facies eius solis fulgori similis, et vestitus candori nivium esset aequalis (MATTH. XVI, 2). In qua transfiguratione illud quidem principaliter agebatur, ut de cordibus discipulorum crucis scandalum tolleretur;

nec conturbaret eorum fidem voluntariae humilitas passionis, quibus revelata esset absconditae excellentia dignitatis. Sed non minore providentia spes sanctae Ecclesiae fundabatur, ut totum corpus Christi agnosceret quali esset commutatione donandum, et eius sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite praefulsisset. De quo idem Dominus dixerat, cum de adventu sui maiestate loqueretur: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris sui* (MATTH. XIII, 43); protestante hoc ipsum beato Paulo apostolo, et dicente: *Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (ROM. VIII, 18); et iterum: *Mortui enim estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc et vos apparebitis cum ipso in gloria* (COLLOSS. III, 13).

1566 Confrimandis vero apostolis et ad omnem scientiam provehendis, alia quoque in illo miraculo accessit instructio. Moyses enim et Elias, lex scilicet et prophetae, apparuerunt cum Domino loquentes: ut verissime in illa quinque virorum praesentia completeretur quod dictum est: *In duobus vel tribus testibus stat omne verbum* (DEUT. XIX, 15; MATTH. XVIII, 16; IOANN. VIII, 17; II COR. XIII, 1; HEBR. X, 28). Quid hoc stabilius, quid firmius verbo, in cuius praedicatione veteris et novi Testamenti concinit tuba, et cum evangelica doctrina, antiquarum protestationum instrumenta concurrunt? Astipulantur enim sibi invicem utriusque foederis paginae; et quem sub velamine mysteriorum praecedentia signa promiserant, manifestum atque perspicuum praesentis gloriae splendor ostendit: quia, sicut ait beatus Ioannes: *Lex per Moysen data est, gratia autem et veritas per Iesum Christum fa-*

cta est (IOANN. I, 17); in quo et prophetarum promissio impleta est figurarum et legalium ratio praeceptorum, dum et veram docet prophetiam per sui praesentiam, et possibilia facit mandata per gratiam.

His ergo sacramentorum revelationibus Petrus apostolus incitatus, mundana spernens et terrena fastidians, in aeternorum desiderium quodam mentis rapiebatur excessu; et gaudio totius visionis impletus, ibi cum Iesu optabat habitare, ubi manifestata eius gloria laetabatur; unde et ait: *Domine, bonum est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum* (MATTH. XVII, 4). Sed huic suggestioni Dominus non respondit, significans non quidem improbum, sed inordinatum esse quod cuperet; cum salvari mundus nisi Christi morte non posset, et exemplo Domini in hoc vocaretur credentium fides, ut licet non oporteret de beatitudinis promissionibus dubitari, intelligeremus tamen inter tentationes huius vitae prius nobis tolerantiam postulandam esse quam gloriam: quia tempora patiendi non potest felicitas praevenire regnandi.

Adhuc itaque eo loquente ecce nubes lucida obumbravit eos, et ecce vox de nube dicens: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite* (Ibid. 5). Praesens quidem erat in Filio Pater, et in illa Domini claritate, quam ad discipulorum temperarat aspectum, non separabatur ab Unigenito Genitoris essentia; sed ad commendandam proprietatem utriusque personae, sicut visui significavit Filium splendor ex corpore, sic auditui Patrem vox nuntiavit ex nube. Qua voce accepta, discipuli quod in faciem ceciderunt et timuerunt valde, non de Patris tantum, sed et de Filii maiestate tremuerunt: altiori enim

sensu unam utriusque intellexerunt Deitatem: et quia in fide non erat haesitatio, non fuit in timore discretio. Latum ergo illud et multiplex testimonium fuit, et plus in verborum virtute quam in sono vocis auditum est. Dicente enim Patre: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*; nonne evidenter auditum est: *Hic est Filius meus, cui ex me et mecum esse, sine tempore est?* Quia nec Genitor Genito prior, nec Genitus est Genitore posterior. *Hic est Filius meus, quem a me non separat Deitas, non dividit potestas, non discernit aeternitas. Hic est Filius meus, non adoptivus, sed proprius; non aliunde creatus, sed ex me genitus; nec de alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi natus aequalis. Hic est Filius meus, per quem omnia facta sunt, et sine quo factum est nihil* (IOANN. I, 3): quia omnia quae facio similiter facit, et quidquid operor, inseparabiliter mecum atque indifferenter operatur. In Patre enim est Filius, et in Filio Pater (IOANN. V, 19), nec umquam unitas nostra dividitur. Et cum alius ego sim qui genui, alius ille quem genui, non aliud tamen de illo vobis cogitare fas est, quam de me sentire possibile est. *Hic est Filius meus, qui eam quam mecum habet aequalitatem non rapina appetiit* (PHILIPP. II, 6), nec usurpatione praesumpsit; sed manens in forma gloriae meae, ut ad reparandum genus humanum exsequeretur commune consilium, usque ad formam servilem inclinavit incommutabilem Deitatem.

1569 Hunc ergo, in quo mihi per omnia bene complaceo, et cuius praedicatione manifestor, cuius humilitate clarificor, inexcitantur audite: quia ipse est veritas et vita, ipse virtus mea atque sapientia. *Ipsam audite*, quem legis mysteria praenuntiaverunt, quem prophe-

tarum ora cecinerunt. *Ipsam audite*, qui sanguine suo mundum redimit, qui diabolum ligat, et vasa eius rapit, qui peccati chirographum et praeviationis pacta dirumpit. *Ipsam audite*, qui viam aperit ad coelum, et per crucis supplicium gradus vobis ascensionis parat ad regnum. Quid trepidatis redimi? quid pavetis saucii liberari? Fiat quod me volente vult Christus. Abiicite carnalem formidinem, et fideli vos armate constantia: indignum est enim, ut in Salvatoris passione timeatis, quod ipsius munere nec in vestro fine metuetis.

Haec dilectissimi, non ad illorum tantum utilitatem dicta sunt, qui ea propriis auribus audierunt, sed in illis tribus apostolis universa Ecclesia didicit quidquid eorum et aspectus vidit et auditus accepit. Confirmetur ergo secundum praedicationem sacratissimi Evangelii omnium fides, et nemo de Christi cruce, per quam mundus redemptus est, erubescat. Nec ideo quisquam aut pati pro iustitia timeat, aut de promissorum retributione diffidat, quia per laborem ad requiem, et per mortem transitur ad vitam: cum omnem humilitatis nostrae infirmitatem ille susceperit, in quo si in confessione et in dilectione ipsius permaneamus, et quod vicit vincimus, et quod promisit accipimus. Quia sive ad faciendam mandata, sive ad toleranda adversa, praemissa Patris vox debet semper auribus nostris insonare dicentis: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite*: qui vivit et regnat cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

Varia de Passione Christi.

(EX S. BERNARDINO SENESI, VOL. I, SERM. 51.)

1571 **T**ERTIA et ultima contemplatio pertinet ad complementum Domineae Passionis tria contemplanda in se comprehendit. Primo enim contemplerur quam amare Christus potatur: secundo quam dire cruci affigitur: tertio quam mire a terra elevatur.

1572 Primo, inquam contemplerur quam amare Christus potatur. Sed ante praemittitur, ad redudandam iniuriarum perficiendam, quod, quum diceretur Iesus ad occidentum, societatem latronum ei adhibuerunt; propterea Evangelista subdit: *Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur.* O impia crudelitas, et opprobriosa conditio malignorum! ut socios nequam habeat qui nonquam facit, nisi probatum iustitiae, amoris.

Et veniunt in eum, qui dicitur Calvariae locus, hebraice autem Golgotha. In hoc quidem loco, secundum Hieronymum immolatus est aries pro Isaac. (GEN. XXII.) Significavit enim aries ille Christi Humanitatem, atque Isaac Christi Divinitatem. Dimissa ergo divinitate quae impassibilis est, solum Humanitas in dicto loco extitit immolata.

1573 Deposita igitur cruce de dorso Simonis, ut affigeretur in illa Christus, et passionis ad irrogandam mortem asperam, instrumentis undique praesto factis, antequam satellites manus ad crucifigendum apponerent, *dederunt ei vinum myrrhatum bibere cum felle mixtum.* O implacabilis feritas Iudaeorum! quae linguam illam mellifluam, quae docuerat dulcia verba vitae, in recompensationem, immo potius in vindictam, amarissimis saporibus cruciasti; ut elaresceret luculenter quod Iudaei interiori repleti erant odio amarissimo contra Christum, ut verificaretur quod longe ante David Propheta in persona Christi (PSAL. LXXXIII) praedixerat: *Et dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.* Sed de hoc etiam infra patebit cap. 5, sequentis principalis partis.

1574 Haec tamen in mysterio facta sunt, ut intelligatur quod electa vinca Synagoga Iudaeorum in omne amaritudinis genus conversa est, quum propinaverit Christo corporis mortem, omnemque legis et originalis iustitiae praeviationem: quia nihil Deo amarius per displicentiam, quam eius derelictio, eiusque prociac praesentatur.

1575 *Christus autem, quam gustasset, noluit bibere.* O sacra crudelitas Iudaeorum! Qualla poeula apponis homini fatigato? Qualem refecionem porrigis homini in carne iam laeso? Quales affectus compassionis ostendis homini de hoc mundo in proximum migraturo? Quum autem bibere nolisset post gustum, decemente Centurione, Sacerdotum Principibus sollicitantibus atque instantibus, proces-

sum est ad implissimam actionem, videlicet, ad crucifigendum omnium Redemptorem. Sed inter cetera Evangelica scripta, quae admiratione animum meum pulsant, hoc potissimum est, quod tantum, et tanti Hominis crucifixionis mysterium, dumtaxat cum serie praetermissa, solum edicitur factum.

1576 Non tamen absque occulto mysterio ille modis ab omnibus Evangelistis extitit praetermissus, de quo tutius quam ipsis nemini crederemus. Quod quidem arbitratur factum esse, aut quia vulgata notitia, quae sic damnati extitit crededatur, temperavit manum, ne insererent in scripturis crucifixionis modum; aut ne videantur Evangelistae succumbere verbis; seu quia Spiritus sanctus sic breviter scribi voluit, ut pia consideratio, non expressa per amentum pia meditatione ad meritum fidelium remaneret.

1577 Secundo contemplerur quam dire Christus crucifigitur. Imaginare, devota anima, quam impie satellites illi crudeles coram omni multitudine inhumaniter ac furibunde nudum expoliaverunt eam, sicut de utero Matris egressus est, ut iudicatus esset ad opprobrium, et faciliorem redderet ad tormentum. O quid erat tunc videre, et quid etiam nostris considerationibus praebet quod mortem subeundam expoliatur Filius Dei Iesus, ut nobis pateat totus, nihil operiens, nisi quod creatura suo captu non recipit; ut, sicut nudus corpore dum patitur revelatur, sic ipsum verum Deum, omni amoto velamine, intuitive in aeterna gloria contemplerur? et ut insuper ostendatur quod ad clarum et nudam visionem Dei nemo aliter potest pervenire, nisi merito passionis eius.

1578 Sic denique crudeliter denudatus caput ille mansuetissimus agnus, atque supinus ducitur super crucem; magis vero in animo ad homines charitate distentus, ut etiam crucifixoress sui non excluderentur a charitate fontali: etenim oravit pro eis; ipse vero in nullo renitens ad omnia tractabilem se praebat cum tanta mansuetudine, cum tanta pietate, ac cum tanta devotione faciei suae, quod non solum moriri ad pietatem impij persequentes, verumetiam eorum corda naturali quadam compassione debuerunt in tali aspectu concendi; quorum vicem postea durities lapidosa complevit.

1579 Illo igitur sacratissimo Corpore iam extento, praesto sunt clavi et mallei desuper ferientes in manu valida affigentium; qui, ut atrociter et expeditus hanc impietatem perficerent, ut in aliquibus opinionibus ostendis homini de hoc mundo in proximum migraturo, alter sinistrum, tertius pedes superpositos pervalide distentos icibus crebris et validis resonantibus super clavorum capita con-

fixerunt. Sive primo unam, deinde aliam manum, denum pedes confixos esse credamus, premebatur et configebatur immisericorditer illa Caro sanctissima, atque Corpus illud in illa hora erat in sua saeva passione ab omnibus derelictum. O quam dure ille sonitus malleorum resonabat in auribus! magis vero in cordibus diligentium Christum, maxime in corde dulcissimae Matris eius. Tam dire et crudeliter tractaverunt sanctissimum illud Corpus in modum pellis traquentes quum cruci affigerent, ut in persona Christi Propheta (PSAL. XXI) dicat: *Foderunt manus meas, et pedes meos, dimmeraverunt omnia ossa mea.*

1580 Tertio contemplerur quam mire Christus a terra elevatur; deinde ipsum lignum Deo totaliter insignitum impij satellites exerunt in altum viribus plurimorum, et solitis instrumentis dolere novo Christum Dominum cruciantes, dum pondus Corporis, manuum atque pedum carnem, et nervos divelleret, et diversimode laceraret.

1581 O anima mea dilecta, respice nunc in faciem Christi tui, et vide quomodo effluxit omnis pulchritudo de vultu illius, et qui erat speciosus forma prae filiis hominum nunc apparet omnino indecorus. Vide quomodo non est ei species neque decor, quia decorem vultus illius verberum mutavit livor, quae sputorum foedavit turpitudinem et cruor. Aspicie illos fontes manuum ac pedum Domini tui sacrum Sanguinem manantes, et inundantes: vide apertas cataractas coeli, et inundet diluvium gratiae ad nostram malitiam et superbiam submergendam. Ecce, anima mea dilecta, triumphale vexillum in altum erectum contra aereas potestates cum quo possis de omnibus tuis adversariis triumphare.

1582 Contemplare, anima mea, quod tibi tricoloratum ostenditur, quum sit ibi candor virginiae carnis, et nigredo livida flagellorum, et rubor pretiosi Sanguinis, ut tu ipsa simili formeris effigie, scilicet, innocentia candida, poenitentia nigra, et charitate ignea rubicunda.

1583 Secundo principaliter in proposito Prophetiae verbo inducimur a Christo ad sensum suorum mororum atque clamorum, quum Psal. xxxviii subiungit: *Rugiebam a spiritu cordis mei:* unde merito de ipso Is. xxi cap., ait: *Clamavit ut leo super speciem Domini.* Ego sum stans, scilicet, in cruce ingiter per diem. Insuper tamquam leo rugire dicitur, quia ipse *leo de tribu Iuda* (ApoC. vi. Circa autem hanc secundam partem principalem tres admirandas contemplationes subdamus. Primo contemplerur Christi amorem, secundo mundi horrorem, tertio devotorum dolorem.

1584 Primo enim contemplerur Christi amorem, scilicet, dum pendebat in cruce; ardebat nempe Iesus igne nostrae dilectionis; et nudas, sicut cibus

crapulatus a vino, tractabat salubria verba vitae, secundum quod ipse praedixerat Matth. xii cap.: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona.* Quis namque dici potest convenientius bonus homo, quam ipse Christus? quum etiam Luc. xviii cap. scriptum sit: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Ipse nempe de bono thesauro cordis sui, qui est amor, licet semper protulerit bona, optima tamen effudit, quum ex amore nostro pendebat in cruce. Ibi enim ostendit cor suum esse fornacem ardentissimae charitatis ad inflammandum, et incendendum plenissime et efficacissime universum; unde tunc protulit septem sacratissima et ardentissima verba, quasi septem inflammatos, et inflammantes amores.

1585 Primus enim inflammans amor fuit mirae re-missionis, secundus mirae devotionis; tertius mirae confederationis, quartus mirae derelictionis, quintus mirae attractionis, sextus mirae consummationis, septimus mirae reductionis.

1586 Primus etenim Christi amor inflammans in cruce fuit mirae remissionis. Quod quidem apertissime claret, dum amorosus Iesus, minime charitatis oblitus, nec ad rependendum pro malo gratiam tardus, non obumbratus confusio, nec absortus doloribus etiam dum crucifigitur, pro suis crucifixo-ribus, ex amore immenso Patrem exorare dignatus est, dicens: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.*

1587 Considera, anima mea, quam superfluous fuit amor dulcis Domini Dei nostri super impios hostes suos, quando non solum pleno corde fuit indultor, sed etiam efficacissimus intercessor, et piissimus excusator. Unde nec allocutus est Iudicem qui prece non flectitur, sed paterno nomine suo blandiens Genitori, sibi quasi conclusit nihil tanto Filio denegandum. Nec insuper ait examina Pater, vide Pater, considera Pater: sed *dimitte*, inquit, *Pater*, quasi dicat: Et si iustitia punitionem requirit ex actibus suis, misericordia tamen remittit gemitibus meis.

1588 Ad quos etiam referatur oratio, et petitio sua, quum dicit *Dimitte illis*, licet indeterminate loquatur: tamen ad terra hominum genera dici potest quod dilatavit dilectionis mentem: primo ad ipsos crucifigentes, secundo ad Iudaeos ignorantes, tertio ad quoslibet peccatores.

1589 Primo enim direxit dilectionis, et orationis intentionem ad ipsos crucifigentes; et, ut erga eos paternam iustitiam ad misericordiam flectat, ignorantiam illorum allegat, dicens: *Quia nesciunt quid faciunt.* Sciunt utique quod crucifigitur; ignorant quem crucifigit. Romani enim erant, aut de gentibus incircumcisis ministri, et milites Pilati qui hoc ad litem exercebant, nutriti sub cultu perfidiae, quae

dicebatur servitus idolorum: nec assueti fuerant vaticiniis Prophetarum, ut coniecturari possent aliquando Dei Filium in carne venturum; unde omnino neesciebant quem crucifigebant. Quamobrem misericorditer subvenit eis pietas Salvatoris. Omnis enim culpa facilis veniam promeretur quae ab ignorantia, quam quae a malitia exordium sumit. Nesciebant enim quid facerent, quum fidem credulam adhiberent diffamationibus Iudaeorum, et eis gestientes placere, animosius Christum poenis crudelissimis afflicebant. Proinde Christus in poenis agitatus a malis, repletus dolore, sed coactus amore, pro eis interpellat ad Patrem: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt*, quasi dicat: Iudaei, licet non propriis manibus, tamen odio et malitia; isti vero officio, et obedientia^o crucifigunt.

1590 Secundo potest ex Christi magna pietate comprehendi quod etiam ipsi Iudaei ad hanc intercessionem pro consequenda indulgentia pertinerent: illi dumtaxat qui Christum omnino ignoraverunt: si vero scientes in istam orationem venissent, frustra Salvator dimissionis causam subiunxisset: *Quia nesciunt quid faciunt*: est siquidem *quia* semper redditio causae. Quomodo ergo scientes quae fiebant, et faciebant, aut consentiebant in necem Filii Dei ad istam orationem potuissent pertinere, quum *quia* tantum de ignorantia pro redditione causae proponatur? Quomodo etiam Gentiles, seu Iudaei ignorantes potuissent excludi, quum pro peccatoribus exoraret, et velit omnes homines salvos fieri?

1591 Tertio dici potest quod ad quoslibet peccatores dirigebat intentionem; qui quantumcumque malitia offendere videantur, tamen quatuor ignorantias habent: ignorant enim quantum Iudicis maiestatem offendunt, quantum Patris benignitatem contemunt, quantum turpitudinem animae suae infligunt, ac quantum tormentum aeterni cruciatus incurrunt.

1592 Iam igitur Christo crudeliter in cruce pendente, sibi in poena simili, sed in dispari causa crucifixerunt cum eo alios duos latrones, unum a dextris, et alium a sinistris, ut Christus perversa intentione agentium esset in medio damnatorum, quasi similibus sceleribus involutus. Fuit in mysterium nihilominus ante praedicta (Is. lxxi) haec infesta societas: *Et cum sceleratis deputatus est*; ut nihil in Christo credatur, aut ex Christo aliquid fortuito provenisse. In his igitur manifeste clarescit quanta pro nobis voluit pati, in cuius passione, et morte tot et tanta insimul concurrerunt, quae augmentum dederunt illius confusio. Nam voluit pati in civitate Metropolitana, in qua ante sex dies fuerat gloriosus receptus: in festo solenni azimo-

^o Peccaminose tamen.

ram, quando de universo populo Israel convenire debebat: hora meridiana, quando plures concurrere poterant ad videndum: erectus in aliam crucem in Calvario monte, ut ab omnibus melius videretur: in loco punitionis malefactorum, in medio latronum, totaliter nudus ad spectaculum opprobrii erectus. Denudationem autem exprimit Ambrosius, dicens: Auctor nostrae salutis sic nudus positus fuit in patibulo crucis, sicut nudus exivit de utero Virginis. Secundum autem quosdam, Mater videns sic vituperose nudatum, velum capitis sui sumens, ad Christi pudibunda proiecit; quodque ad solamen Virginis illis pudibundis locis miraculose adhaesit: quod si verum fuerit, ignoratur^b. Inter fideles autem pingitur crucifixus in illis locis velatus potius pro aspicuum honestate, quam pro illius actus astringenda veritate. Quum enim tunc tempus esset diri iudicii pro nobis impiis super Filium Dei, non mihi apparet tunc aliquid miraculum factum quod eius dolorem, vel dedecus breviaret, seu aliquid adiutorium patienti Dei Filio ministraret. Sed magis ipse Iesus secundum suam Divinitatem operans, et secundum charitatem amplectens, elegit omnia facere, atque permittere quae possent eius dedecus augeri, et ampliari dolorem.

Post haec autem de mandato Pilati, non intelligentes altitudinem rei gestae, per triumphalem titulum Iesum a reliquis distinxerunt. Tenor tituli talis erat: *Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum*: quae verba in quadam assidua scripta erant, et apposita humano studio super caput eius amote pauperis, non quod caput ipsa contingeret. Hic titulus elemento triplicis linguae scriptus erat, scilicet, Hebraice, Graece, et Latine: de quo titulo supra scri. 49, latius dictum est. In his tribus linguis, secundum Theophilum, ideo scriptus est, quia illae erant principales linguae, ut aperte insinuetur quod ipse erat Rex Theologiae quantum ad Hebraeos in quibus erat Dei scientia: Philosophiae quantum ad Graecos in quibus erat philosophica eloquentia: et Practicae quantum ad Romanos et Latinos in quibus erat bellandi et regendi potentia. In his tribus linguis Apostolus suas scripsit epistolas, unam ad Hebraeos, duodecim ad Graecos, et unam solum ad Romanos.

Magno tamen praesagio futurorum est actum in his tribus linguis Iesus Rex fuerit appellatus: nam et Christum statim mundo editum sequitur titulum, nomen, res, fama, virtutes: *Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum?* (MATTH. II). Ipsum quoque miracula facientem, quum Ierosolymam super subingalla introiret, Regem vult eum turba praefere-

^b Haec velatio communitur admititur. Cfr. Baz. XIV, etc.

ac Rex Israel a populo proclamatur. Nunc quoque moriens Rex scribitur Iudaeorum, ut ex hoc manifeste clarescat quod Iesus homo unicus Deo, natus, vivens, et moriens creditur Rex omnium saeculorum; nihilque sibi propterea quae passus est fuisse de regia maiestate sublatum. Quod et Ioann. Apoc. cap. xix alta contemplatione conspexit, quum ait: *Et habebat in vestimento, et femore eius scriptum: Rex Regum, et Dominus Dominantium*.

1595 Hunc ergo titulum multi legerunt Iudaeorum, tam hora qua superpositus erat, quam deinceps; quoniam prope civitatem erat crucifixionis locus, ad quem facilis erat egressus, et regressus in civitatem.

1596 Murmuratio iam in populo devoluta, Principes Iudaeorum adiere Pilatum, rogationibus deprecantes, et argutis sermonibus suadentes ut aut deleteret titulum, aut superadderet *quia ipse dixit: Rex sum Iudaeorum*. Sed magna fuit Pilati non ex se, sed ex Deo constantia, ut nec deleteret quod scriptum, nec adderet quod Iudaeorum pravitatis submissa falsitate quaesivit. Unde admiratione magna suspenditur quod Pilatus non denegavit Iudaeis Christi mortem, et tamen nunc tituli denegat abolitionem, sive additionem, dicens: *Quod scripsi, scripsi*. Quod quidem divino mysterio factum est quod hunc titulum abolere non potuit, quamvis sententiam mortis expavectus, aut male suasus emisisset; quoniam die tertia resurrexit: sicut nec Ascalonita poterat delere hunc titulum: *Ubi est qui natus est Rex Iudaeorum?* (MATTH. II), ut mystice innuat quod postquam Pilati decretum non poterunt mutare Iudaei, quomodo mutare poterunt quod Iesus non sit Filius Dei? Si sic hominum decreta firmanur, quae Deus aeternus statuit quomodo mutabuntur? Magna nempe iniquitas est quando nocentes ex omni parte iudicari velint penitus innocentes. Criminosius quoque est velle iniquitatem regulis, et floribus ornare iustitiae, quam delinquere impetu voluntatis.

1597 Intelligendam tamen est pro historiae veritate quod, dum Christus cruci affigebatur, nulla de superscriptione ad Pilatum relatio facta est: intendebant enim omnes crudeli mysterio, et vacabant derisionibus impio pro pietate pendentes. A sexta autem hora, quando Christus crucifixus est, factae sunt tenebrae usque ad horam nonam, ut timentes fere omnes absconderentur, nec lux praestabat conferens ad lecturam: a nona vero, confugatis tenebris, et cum lux adesset haec concertatio facta est. Decoratis autem patibulis corporibus damnatorum, et titulo posito super Christum, Pilati milites se ad vestimenta dolentis, et pauperis dividenda, tamquam data eis in praedam, convertunt,

et illius pallium sciunt in quatuor partes, et accipientes tunicae, qua sub pallio utebatur, quam omnino inconstitunt, et integram, et in nullo divisam, et omni divisioni cognoscentes ineptam, velut rem pulchram in toto, et competentibus ipsis vestibus aptam, turpem vero in partibus scissis, uti visibus non tradendam; illam penitus non dividere decreverunt; eam taliter disponentes, ut eius esset cui cors desperet ei missa concederet: unde Ioann. ait, quod milites dixerunt ad invicem: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit*; nam sicut Proverb. xviii cap. Salomon ait: *Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque diiudicat*: quod et factum est, ut Scriptura impleteretur quae Psal. xxi, ait: *Partiti sunt vestimenta mea sibi, et super vestem meam miserunt sortem*.

Ex his manifeste clarescit quod Omega Christi reddiit ad Alpha illius; ut qualiter pauper natus sit, et pauper mortuus est, nudus habendi et voluntate ingressus est: sic et progressus, sic quoque egressus est: haec tamen in mysterio contingebant; nam vestis Filii Dei assumpta Humanitas est.

1599 Quatuor partes factae sunt quatuor militibus distributae; etenim ad quatuor mundi partes Christi Humanitas pro fidei distributa est, et omnibus ipsis dumtaxat qui militaverunt in militia novi Regis. Tegebant Christum vestimenta eius, sed expoliatus est, ut nobis omnino eius mysteria patefiant; et amor, quo ab aeterno nos dilexit, ut elucescat clarior, divisa sunt, ut nunquam velamentum ultra conveniat: nam neque ulterius cooperiendus est Christus, sed per amplius in gloria revelandus. Intelligimus iam enim ex fide omnia opera et mysteria eius, mores atque doctrinam, et totus patefactus in aere expiravit.

1600 Tunica autem inconstituta quae dividi non potuit nostrae fidei arguit unitatem: unitas autem omnino indivisibilis est: sic et unitas nostrae fidei scindi nequit; potest nempe homo a fide rescindi, sed fides potest nullo modo praescindi, sicut de hoc plenus supra scri. 3, artic. 1, per totum dictum est. Significat etiam charitatem quae vera profundus est atque una, quamvis ab ea multi progredivantur effectus; nec per hoc dividi potest, veluti solis radii, qui numerositate ab ipso resurgunt; servaunt tamen in origine unitatem. Non enim sol dividitur, etiam si radii dividantur: unum quidem est corpus luminis, etiam si multiplicentur radii lucis: utraque enim vestis est desper contexta per totum. Hanc texturam merito appellaverunt Martyrum, et Ecclesiae passionem, et cuncta opera, quae fidei et charitatis construnt pulchritudinem, et astrunt firmitatem.

1601 Illudebatur ab omnibus Christo in cruce pendenti, et fere omnis vilitas sibi obiciebatur in

faciem: *Nam et praerentes blasphemabant in eum moventes capita sua, et dicentes: Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo reaedificas illud. Salva tenebris: si Filius Dei es, descende de cruce.* Nec mirum, si praerentes blasphemabant, quia non subsistunt, ut agnoscat invisibilem veritatem. Praerentes quidem erant Iudaei, nec in Scripturis substituerunt, ut in eis Christum reperire possent. Remiserat eos Dominus ad Scripturas, ut, in ipsis subsistendo, non praerendo, scrutarentur, quoniam ipsae testimonium perhibebant de ipso. Sed movebant capita sua, velut phrenetici, quibus obnubilatum est iudicium rationis. Arguendo improperebant: *Vah! qui destruis templum Dei, et in triduo reaedificas illud.* Si hoc poterat, quare temetipsum salvare non potes? Filii hominum, te posterunt in cruce, et si tu Filius Dei es, ostende te super homines, descende de cruce.

1602 Non curabat impropere Christus; nec movebatur animus eius, ut occultam potentiam vellet demonstrare derisus, nec hominum violentia crucifixus erat. Propterea nec suggestionem deridentium hominum defugebat, nec de cruce etiam descendebat, impatientia victus. *Similiter et Principes Sacerdotum illudentes cum scribis, et senioribus dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei:* ut verificaretur quod Propheta (PSAL. XXI) in persona Domini, ait: *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput.* Et iterum: *Audivi exultationem multorum commorantium in circuitu.*

1603 O impii villitas et crudelis iniquitas! illudere homini in proximo morituro. Petunt de cruce descensum in argumentum potentiae et virtutis, atque falso spondent credulitatem, si de cruce descenderet, qui tamen ei credere noluerunt, quum mortuus et sepultus a mortuis resurrexit; quod altioris virtutis fuit.

1604 Vide quanta crudelitate saeviunt contra Christum, quando non succederat eis tanta exercuisse ludibria contra eum per totam noctem usque ad istam horam; sed, tanquam effrontes, reiecto omni humano pudore, mansuetissimo Agno insultare et in cruce morientem non cessant. Quid pensandum est quod fecerunt ei ministri Principum et Sacerdotum, quando hi seniores, in quibus debuit maturitas apparere, ex interno odio et furore in tot crudeliter insanias exterius proruperunt, quod in tanta festivitate dierum sanctorum, non erubescerent populum, contra omnem consuetudinem ad locum opprobriosis supplicii exiverunt morientem iusto tam crudeliter insultantes? Quid enim credendum est, quod ei fecerunt de nocte, quando illum in

suis domibus habuerunt, postquam nunc in publico coram populo tot illusionibus, impropereis et contumeliis iam penitus morientem iniuriarunt?

DOMINICA II. IN QUADRAGESIMA

LECTIO SANCTI EVANGELII (ut heri).

Homilia S. Leonis Papae.

Habetur integra in Sabbato praecedenti.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTHAEI, CAP. 17.

Ret post dies sex, assumens Iesus ¹⁶⁰⁵ Petrum, et Iacobum, et Ioannem fratrem eius. Quare Petrus, et

Iacobus, et Ioannes in quibusdam Evangeliorum locis separentur a ceteris: aut quid privilegii habeant extra alios apostolos, crebro diximus. Nunc quaeritur quomodo post dies sex assumperit eos, et duxerit in montem excelsum seorsum: cum Lucas evangelista octonarium numerum ponat (LUC. IX, 28). Sed facilis responsio est, quia hic medii ponuntur dies, ibi primus additur et extremus. Non enim dicitur: *Post dies octo assumpsit Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem:* sed die octavo. *Ducit illos in montem excelsum seorsum.* Ducere ad montana discipulos, pars regni est. Ducuntur seorsum, quia multi vocati, pauci vero electi (MATTH. XX, 16; XXII, 14).

Et transfiguratus est ante eos. ¹⁶⁰⁶ Qualis futurus est tempore iudicandi, talis apparuit apostolis. Quod autem dicit: *Transfiguratus est ante eos,* nemo putet pristinam cum formam et faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, et assumpsisse corpus vel spirituale, vel aereum; sed quomodo transformatus sit, evangelista demonstrat, dicens: *Et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* Ubi splendor faciei ostenditur, et candor describitur vestium, non substantia tollitur,

sed gloria commutatur. *Resplenduit facies eius sicut sol.* Certe transformatus est Dominus in eam gloriam qua venturus est postea in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit. Esto corpus spirituale fuerit, num et vestimenta mutata sunt, quae in tantum fuisse candida, ut alius evangelista dixerit: *Qualia fullo super terram non potest facere* (MARC. IX, 2). Quod autem fullo super terram potest facere, corporale est, et tactui subiacet, et non spirituale et aereum, quod illudat oculis, et tantum in phantasmate conspiciatur.

¹⁶⁰⁷ *Et ecce apparuerunt illis Moyses et Elias cum eo loquentes.* Scribis et Pharisaeis tentantibus se, et de coelo signa poscentibus, dare noluit, sed pravam postulationem confutavit responsione prudenti. Hic vero, ut apostolorum augeat fidem, dat signum de coelo, Elia inde descendente quo conscenderat; et Moyses ab inferis resurgente: quod et Achaz per Isaiam praecipitur, ut petat sibi signum de excelso, aut de inferno (Is. VII, 11). Nam quod dictum est: *Apparuerunt illis Moyses et Elias, cum eo loquentes;* et in alio refertur Evangelio, nuntiasset ei quae Ierosolymis passurus esset (LUC. IX, 31). Lex ostenditur et prophetiae, qui et passionem Domini, et resurrectionem crebris vocibus nuntiarunt.

¹⁶⁰⁸ *Respondens autem Petrus, dixit ad Iesum: Domine, bonum est nos hic esse.* Qui ad montana conscenderat, non vult ad terrena descendere; sed semper in sublimibus perseverare. *Si vis, faciamus hic tria tabernacula: Tibi unum, Moysi unum, et Eliae unum.* Erras, Petre, sicut et alius evangelista testatur. Nescis quid dicas (LUC. IX, 33). Noli tria tabernacula quaerere, cum unum sit tabernaculum Evangelii, in quo lex et prophetae recapitulanda sunt. Sicut autem quaeris tria tabernacula, nequaquam servos

cum Domino conferas, sed fac tria tabernacula: imo unum Patri, et Filio, et Spiritui sancto; ut quorum est una divinitas, unum sit et in pectore tuo tabernaculum.

¹⁶⁰⁹ *Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos. Et ecce vox de nube, dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Quia imprudenter interrogaverat, propterea responsionem Domini non meretur, sed Pater respondet pro Filio, ut verbum Domini completeretur: *Ego testimonium non dico pro me, sed Pater qui me misit, ipse pro me dicit testimonium* (IOANN. V, 37; VIII, 18). Nubes lucidae operirentur umbraculo. Vox quoque de coelo Patris loquentis auditur, quae et testimonium perhibeat Filio; et Petrum errore sublato, doceat veritatem; imo per Petrum ceteros apostolos. *Hic est, ait, Filius meus dilectus:* huic figendum est tabernaculum, huic obtemperandum. Illic est filius, illi servi sunt: Moyses et Elias debent et ipsi vobiscum in penetralibus cordis sui Domino tabernaculum praeparare.

¹⁶¹⁰ *Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, et timerunt valde.* Triplicem ob causam pavore terrentur, vel quia se errasse cognoverant, vel quia nubes lucida operuerat eos, aut quia Dei Patris vocem loquentis audierant: quia humana fragilitas conspectum maioris gloriae ferre non sustinet, ac toto animo et corpore contremiscens, ad terram cadit. Quanto quis ampliora quaesierit, tanto magis ad inferiora collabitur, si ignoraverit mensuram suam.

¹⁶¹¹ *Et accessit Iesus, et tetigit eos.* Quia illi iacebant, et surgere non poterant, ipse clementer accedit, et tangit eos,